

ARTICULUS III.

Scientia media expungitur.

I. Gravis ista ac seriosa quæstio non solum omni verborum et aculeorum amaritudine seposita a nobis tractanda est, sed ne quidem recordandum an aliqui auctores effervescente ut solet disputationis acrimonia, scorpiatum aliquid, et aculeatum jactaverint. Angelorum linguis in hac disputatione loqui optarem, in quibus sola intellectus vis quid sentiat sincere pronuntiat, præsertim cum ultimum de his rebus iudicium a sancta Sede Apostolica, non a ratiunculis privatis expetendum sit.

II. Igitur difficultatis hujus summa, et totum pondus non tam est circa ipsorum objectorum certam cognitionem in Deo. Hanc assertam supponimus. Est circa medium, in quo Deus ista conditionata cognoscit cognoscere ut potest: an videlicet Deus in objectis conditionatis futuris, in quibus non sola attenditur consequentiæ illatio inter conditionem, et rem conditionatam, sed ordo et connexio, vel concomitantia ipsius conditionis cum eventu futuro, quando conditio ipsa de se indifferens et contingens est, ut sequatur eventus, vel non sequatur, talis determinata veritas futuritionis, posita illa conditione videatur a Deo in ipsis objectis in se immediate et necessario cognitivis, vel in comprehensione suarum causarum creaturarum antequam Dei voluntas quidquam determinet circa illam veritatem pro statu illo conditionato: an vero necesse sit Deum determinare et discernere quid pro tali casu seu conditione vellet sua voluntate fieri, ut determinate veritas in se contingens possit cognosci, v. g. in hac propositione conditionata: Si Petrus stu-

duerit, erit homo frugi, non consideratur hic solum formalis illatio consequentiæ, hæc enim, etiam nobis manifestum est, quod non datur, si quidem potest salvari conditio, quæ se habet ut antecedens sine effectu secuto qui se habet ut consequens. Similiter non consideratur in præsentis possibilitas illius effectus, posita illa conditione, de hoc enim constat, quia potest accidere, nec ibi repugnantia apparet. Constat denique, quod positio illius conditionis de se relinquit indifferentem causam liberam, et quæcumque aliam contingentem, ut ponat vel non ponat illum effectum, quia illa conditio de se non habet connexionem necessariam cum effectu, nec necessitat voluntatem. Et ideo in sola penetratione conditionis, non attendita conditione, et inclinatione voluntatis, et ejus individuali dispositione non potest formari iudicium determinatum de eventu futuro, si quidem illa conditio se sola sine voluntate non potest, et adhuc voluntate posita, non necessitat ut faciat, sed potest effectus non egredi, ergo quantumcumque penetratur conditio sine voluntate, non poterit effectus ille videri, quia a sola conditione non pendet. Recurrere ergo oportet ad ipsam voluntatem, quæ tali conditione afficitur, et in tali, vel tali statu ponitur, et tunc inquirimus, an penetrata natura et ratione talis voluntatis, adjuncta etiam tali conditione et statu penetratur quid de facto eveniet.

III. Et quidem si in hoc solo sistimus, perinde se habet ista quæstio, atque inquirere an futuritio actus seu eventus possit cognosci in causis proximis et creatis, voluntas enim in aliquo statu conditionato non est aliud quam voluntas cum aliqua conditione, vel circumstantia, aut statu, a quo vel inclinatur, vel retrahitur ad operandum, aut aliquo modo ad id conducit, vel ad

oppositum; et ita in voluntate sic affecta, et sub tali conditione, vel circumstantiis posita videre quid futurum sit, est perinde ac videre futurum in causa proxima contingente, omnes enim illæ conditiones pertinent ad rationem causæ creatæ. Et sic resolvetur ista quæstio ad illam quæ circa futura absoluta etiam versatur, an videlicet in penetratione causarum proximarum, vel in ipsa objecta entitate futuræ operationis sit cognoscibilis determinata veritas ejus. Quia tamen sine influxu causæ primæ nulla operatio quantumcumque libera et contingens evenire potest, et Deus potest istum concursum suspendere, aut non præbere, nemini est dubium quod ut Deus videat conditionatam veritatem alicujus futuri contingentis, debet etiam respicere concursum, et influxum suum, sine cujus dependentia effectus evenire non potest.

IV. Ergo scientia media ejusque defensores dicunt Deum sua infinita intelligentia, qua videt omnia sub statu possibilitatis ante omne decretum et determinationem voluntatis suæ, quia ab illa non dependet rerum possibilitas, eadem intelligentia necessario, et ante omnem determinationem voluntatis suæ videre quid unaquæque voluntas creata sub quacumque conditione seu statu combinetur, de facto faciet, et in quam partem se inclinabit dummodo etiam Deus præbeat concursum ad id necessarium, nec suspendat illum; sed sufficit quod iste concursus et voluntas Dei ad illum dandum cognoscantur etiam ut futura sub eadem conditione, et in casu quo conditio erit, qui tamen concursus pro causis liberis est indifferens, et sub indifferentia oblatus voluntati, ut ipsa eligat et determinet, et sic in vi illius non cognoscit Deus determinatam

illam veritatem, sed tota hæc certitudo et determinata cognitio reducitur ad penetrationem voluntatis sub illa conditione se determinantis.

V. Nos autem dicimus, Deum non præscire determinatam veritatem illius futuri conditionati, nisi ab aliquo divino decreto determinatio illa derivatur et procedat, et sic debere antecedere aliquod decretum Dei determinans quid in tali occasione, vel tali conditione supposita faciet voluntas. Antecedenter autem ad hujus decreti determinationem solum in voluntate creata inveniri indifferentiam et determinationem, ita ut in sola penetratione illius remoto decreto determinato illius suspensionis, et indifferentiæ, non possit determinata veritas illius futuri etiam sub statu illo conditionato attingi, et sic illam scientiam quæ ante omne decretum Dei determinatam futuritionem posita aliqua conditione, vel in quacumque alia causa proxima certa attingit, esse excludendam.

VI. Et quia hæc assertio est totius controversiæ de auxiliis radix et cardo, destructa enim hac scientia debet reduci infallibilitas decretorum et auxiliorum Dei ad intrinsicam eorum naturam, et causalitatem Dei, non ad extrinsecam provisionem consensus futuri, ideo accurate oportet illam tractare et probare.

MENS AUGUSTINI ET THOMÆ CIRCA
ISTAM SCIENTIAM.

VII. Licet articulo præcedenti varia loca Augustini adducta a nobis sint ad ostendendum ipsum non admisisse scientiam conditionatorum nisi supposito decreto Dei antecedente, quod generali vocabulo appellatur ab Augustino prædesti-

natio, nunc mentem Augustini explorabimus in formam syllogismi reducendo ponderationem locorum ejus. Formatur ergo sic argumentum: Modus iste cognoscendi futura conditionata ante decretum præveniens voluntatem nostram, et juxta illud admittendi efficaciam decreti divini, et conciliandi libertatem nostram cum illo, fuit a S. Prospero et Hilario propositus Augustino tamquam assertus seu admissus a Massiliensibus. At S. Augustinus illis respondens talem modum scientiæ non admisit, quin potius si antea dixerat Deum præscire ista conditionata, dicit intelligendum supposita voluntate Dei, et prædestinatione ejus. Ergo scientia media seu cognitio conditionatorum ante decretum præveniens et absolutum ex parte Dei ut modo ponitur, contra mentem S. Augustini inducitur, et sic releganda est. Totus discursus et consequentia est legitima. Major et minor probanda est.

PROPOSITA FUIT HÆC SCIENTIA MEDIA
AUGUSTINO.

VIII. Major ergo hujus syllogismi probatur, supponendo id quod articulo primo supra diximus, Semipelagianos vere agnovisse hanc scientiam mediam, ut etiam fatentur oppositi auctores, sed in illa statuenda errasse, ipsaque abusos fuisse. Hoc totum constat ex ipsis epistolis Prosperi et Hilarii ad Augustinum quæ habentur ante librum de prædestinatione sanctorum ubi omnia ista dicta dicta et asserta Semipelagianorum circa scientiam mediam ponuntur, ut late supra retulimus. Unde est illa vox Fausti Rhegiensis libro II de libero arbitrio et gratia, c. IV: « Nisi præscientiam exploraverit, prædestinatio nil decernit. » Supponebant ergo ante omne decretum

præveniens dari præscientiam explorativam, quæ utique non potest explorare nisi res sub statu conditionato; sub absoluto enim jam supponitur decretum et prædestinatio, ante quod non intelliguntur res absolute futuræ. Ergo non est dubitandum fuisse S. Augustino propositam scientiam mediam, non solum cum eo abusu et errore, quo Massilienses illam admittebant, sed etiam pro illis effectibus ad quos illam admittebant. Unus autem ex effectibus, ad quos illam admittebant, erat ut hoc modo conciliarent libertatem nostram cum divina voluntate et prædestinatione, seu electione Dei. Deinde vero ut removerent a Deo omnem acceptionem personarum, ita quod daret dona sua quærentibus et pulsantibus et sic aliquo modo merentibus, nec totaliter indignis.

IX. Quod ergo Massilienses per scientiam mediam conciliarent nostram libertatem cum voluntate divina, et decreto, ac prædestinatione constat, tum quia tollebant omnem infallibilitatem per modum causalitatis a divino decreto erga perseverantiam nostram, et erga numerum electorum, et alios effectus gratiæ, et solum concedebant infallibilitatem præscientiæ; tum quia dicebant removeri nostram industriam, ac libertatem si constitutio, seu decretum Dei nostras præveniat voluntates, posse vero admitti prædestinationem et decretum secundum præscientiam, quam dicebat Faustus prius explorare, ut prædestinatio decerneret. Sentiebant ergo non tolli libertatem præsupposita illa præscientia ante decretum, sed libertatem dicebant tolli si a decreto præveniretur. Concordabant ergo libertatem cum decreto per illam præscientiam antecedentem decretum. Utrumque manifeste constat ex prædictis epistolis Prosperi et

Hilarii. In primis ex illis verbis Prosperi in epistola citata: « Qui autem credituri sunt, quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse præviderit. » Ecce decretum seu prædestinationem supposita illa præscientia ante decretum. Subdit Prosper de decreto quod ponebat Augustinus et ipsi negabant: « Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, et lapsi curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem temporis afferre, eo quod in utramque partem superfluis labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes si divina constitutio humanas præveniat voluntates, et sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam necessitatem induci. »

X. Eamdem infallibilitatem a prædestinatione seu decreto divino ut ordinante et nostros voluntates præveniente seu præfiniente ante illam præscientiam tollebant Massilienses, et juxta præscientiam mediam ponebant, quia ut in eadem epistola inquit Prosper: « Hanc de humanis meritis præscientiam secundum quam gratia vocantis operetur (ecce operatio vocationis posita juxta præscientiam nostri consensus seu meriti prævisi, licet modo non dicatur esse meritum gratiæ, ille consensus prævisus, in quo ab errore illorum secernuntur,

sed juxta præscientiam infallibiliter operari gratiam vocationis dicunt) multo sibi rationabilius videntur adstruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis sæculis dimissæ sunt ingredi vias suas, vel in unoquoque adhuc in veteris ignorantiae impietate depereunt. » Dicebant enim in his nationibus seu hominibus adultis: « Aliquando non esse misertum Deum, nunc autem misertum, quia nunc credituri prævidebantur non ante, et ad unamquamque gentem, ita dispensata tempora, ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. » Cur vero sic divinæ gratiæ operationem explicarent Semipelagiani, subdit his verbis S. Prosper: « In istam vero talis gratiæ prædicationem, hi quorum contradictione offendimur, cum prius meliora sentirent, ideo se vel maxime contulerunt, quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, et ab ipsa ut possint esse donari, necessitate concederent Deum secundum propositum, et consilium voluntatis suæ occulto judicio, et tempore manifesto aliud vas condere in honorem aliud in contumeliam; sed refugiunt istud fateri, divinoque operi adscribere sanctorum merita formidant, nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui, ne locum apud infideles et negligentes cohortantium incitamenta non habeant. » Ubi manifeste patet ipso infallibilitatem a decreto præveniente omnia merita, seu opera nostra sustulisse, quod est negare infallibilitatem in causando, et præfiniendo operationes nostras, ideoque confugisse ad præscientiam illam ante decretum Dei prædefinientem, juxta quam gratia vocationis operetur, et nunc efficax sit, nunc inefficax reddatur. Nam ipsos nullum donum Dei ag-

novisse ex sua natura efficax et infallibile, et quo posito voluntas non nisi de facto operetur, constat manifeste ex epistola Hilarii ad ipsum Augustinum in illis verbis: « Illam præscientiam sic accipiunt, ut propter fidem futuram intelligendi sint præsciti, nec cuiquam talem dari perseverantiam, a qua non permittitur prævaricari, sed a qua possit sua voluntate deficere et infirmari. » Et infra: « Cæterum quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse amittere et retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent, eam quosdam perseverantiam percepisse, ut non nisi perseverantes esse non possint. » Ecce quomodo manifeste negabant Semipelagiani auxilium aliquod esse ex natura sua efficax, ita ut frustrari effectu suo non possit, quod tamen falsum fore dicit Hilarius, si erat verum id quod Augustinus docebat dari a Deo aliquod donum, quo non nisi perseverans homo sit. Negabant ergo infallibilitatem ex parte ipsius gratiæ, et ipsius decreti quo datur a Deo talis gratia præveniendò nostras voluntates, ita ut ipsas operantes et consentientes faciat, non quia consensum præsupponat, non autem negabant infallibilitatem hanc in præscientiam, qua prævidebat Deus quod iste esse crediturus, vel operaturus, aut perseveraturus, quin potius talem præscientiam adstruebant, ut in eadem epistola dicit Hilarius illis verbis: « Cum eis dicitur, quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, et ibi et illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur quando et ubi prænuntiabatur esse credenda. » Quod testimoniis Augustini libro de sex quæstionibus paganorum et in expositione epistolæ ad Romanos probabant. Non autem

intelligebant Deum præscire quod prædicationi esset consentiendum tali tempore, vel loco ex decreto Dei, seu constitutione dante aliquod donum, quo illo tempore, vel loco non nisi consentientes et credentes essent, quia hoc negabant. Ergo intelligebant id præscire Deum per præscientiam antecedentem omne decretum Dei causans talem consensum, ergo per scientiam mediam.

XI. Denique, constat Massilienses per decretum divinum præveniendos voluntates nostras dixisse nostram libertatem tolli, et sic non esse admittendum, ut patet ex verbis supra relatis Prosperi: « Removeri omnem industriam tollique virtutes si divina constitutio humanas præveniat voluntates. » Constat etiam ipsos admisisse decretum Dei innixum præscientiæ illi quam ipsi ponebant ex eodem Prospero in fine epistolæ, illis verbis: « Pene omnium par invenitur et una scientia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, et sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate, et actione præscierit. » Supponendo ergo præscientiam illam consensus seu voluntatis futuræ ante decretum, quæ utique est scientia media, admitterebant ipsi propositum, prædestinationem Dei, quam dicebant tollere libertatem nostram si præveniret humanas voluntates. Sentiebant ergo quod si non præveniret, sed præsupponeret præsciendò quid faceret voluntas, et sic decerneret, quod non tollebatur libertas. Conciliabant ergo libertatem nostram cum decreto Dei media illa præscientia; licet verum sit quod errarent in ea quod dicebant talem voluntatem prævisam esse causam,

et motivum dandi gratiam, aut perseverantiam, aut prædestinationem. Sed licet in hoc errarent, tamen illud aliud etiam asserebant, scilicet quod libertas nostra servatur ponendo decretum innixum præscientiæ nostri consensus, tolli autem si præveniat nostras voluntates, et quod nullum donum Dei ex sua natura reddit infallibiliter hominem perseverantem, vel operantem, sed quod voluntate hominis amittitur, vel retinetur, quod est efficax reddi, vel inefficax ex consensu nostro aut dissensu. Ergo non potest esse dubium quod Augustino fuerit proposita scientia media, et modus conciliandi nostram libertatem cum divina prædestinatione seu decreto per illam, et reddendi efficacem, vel inefficacem gratiam ex consensu voluntatis nostro præviso. Et ita Prosper in terminis Augustinum consulit de hac ipsa difficultate, quia enim dicebant Semipelagiani nostram libertatem lædi si decretum Dei humanas præveniat voluntates, et similiter quod supposita præscientia voluntatis nostræ ante decretum Dei non læditur, consulit Augustinum in primis, ut sibi patefaciat: « Quomodo per istam præoperantem et cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium: utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa, quæ sunt proposita sint accipienda præscita, an vero in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his vero qui aliquid boni acturi sunt per præscientiam possit stare propositum, an vero uniformiter præscientia sit subnixa proposito. » Quod est in terminis quæstionem hanc de scientia media proponere, an scilicet decretum non stet, nec infallibiliter operetur, nisi supponendo præscientiam de his quæ futura sunt, an vero ipsa præ-

scientia sit innixa proposito, ita quod ratione decreti, seu propositi sciat Deus, quid unusquisque facturus sit, et in quolibet ordine rerum quid contingat. Negari ergo non potest quod Augustino hæc scientia media fuerit proposita, et modus accipiendi infallibilitatem decreti ex illa.

NON ACCEPTATUR SCIENTIA MEDIA AB
AUGUSTINO.

XII. Restat nunc probare minorem syllogismi supra positi, nempe quod Augustinus hanc scientiam mediam et modum conciliandi libertatem nostram cum prædestinatione Dei per illam, non admisit. Augustinus ergo lectis epistolis Hilarii et Prosperi, in quibus illi duo præcipui errores Semipelagianorum referebantur, scilicet quod gratia Dei non præveniret omnia merita, et omnem voluntatem nostram, sed aliquod initium supponeret saltem fidei, et boni desiderii quo peteremus a Deo auxilium et remedium, et secundo, quod ultima gratia, quæ est donum perseverantiæ, non ita esset infallibilis, quod non posset nostra voluntate amitti et frustrari; contra hos errores duos libros scripsit, alterum de prædestinatione sanctorum, in quo ostendit etiam fidem, et primum initium desiderandi et volendi salutem esse ex Deo, præveniri que ab ipso omnes voluntates nostras, non solum præscientia, sed etiam prædestinatione, et decreto, atque adeo illam scientiam mediam, et modum conciliandi per illam libertatem cum divina prædestinatione, non admisit: alterum de bono perseverantiæ, ubi ostendit donum perseverantiæ esse infallibile, nec frustrari a nobis posse, nec impediri libertatem nostram ipsa definitione, et immutabilitate prædestinationis. Hæc sunt præcipua